



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarrationes Novae D. Martini Lutheri in Ionam Prophetam

Jonas, Justus

Haganoæ

Cap. IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36521

conuersi sunt de uia sua mala &c.

Hic hic nunc palàm ebuccinantur opera. Quid hic afferemus? Hic scilicet hypocrite palàm triumphant, sed pedetentim tamen. Agite boni uiri, respicite textum, dicit quidem, Deus respexit opera eorum, id est, placebant Deo opera eorum: sed qualia erāt opera, ipse exponit, Conuertebātur à uijs suis malis. Eiusmodi opera facite & docete, & nō modo feremus ut laudatis hæc opera, sed & nos laudabimus ut egregios fructus fidei. Conuerti à uijs malis non tam leue opus est, nec tuarum uiriū, neq; complectitur in se tantū saccos & ieiunia, sed ueram Dei cognitionem, fidem, id est, amorem Dei & proximi. Quando dicit Deus, Conuertimini à uijs malis, non exigit unum aut alterum opusculū, sed exigit totum hominem, ut sancti simus corpore & spiritu, noua creatura. Deus enim uult totū hominem, non curat dimidiata opera hæc, & mendicantia Elementa mundi, aut ulla externa.

CAP. III.

Et afflicus est Ionas afflictione magna, & iratus est &c.

I N I O N A M

Hic insigne quiddam & mirabile obseruatum
 historia Ionæ, dic cuiusmodi sanctitas hæc
 est in Iona, qui hic stomachatur quòd Deus
 miseretur peccatorũ, & uellet hic Ionas per di peccatores
 cõtra charitatis legem, quæ etiam hostibus
 bene precatur, & benefacit? Et quod uehementer
 mirari possis, hoc facit Ionas, post acerrimum huius
 agonẽ mortis, quo (ni fallor) probe admonitus est,
 quid fieri uelit Deus, nisi forsan leuis monitio est tẽ
 pestas hæc maxima in mari, tempestas nõ minor in
 corde Ionæ, & horribilis ac triduanus carcer, non
 in turri, sed in immanis beluæ uentre. Et hic tamen
 irascitur ille sic castigatus Ionas, imò denuo obuia
 gatus quòd stulte irasceret, adhuc non desinit. Et
 tamen simul ea fides est in Iona, ut optet mori, &
 mortem ipsi uitæ ducat præferendam, quod nõ pos
 set eo modo optare, nisi Deo summa fidei constan
 tia esset confisus, planè proiectus in Deum. Quis
 hic dicemus, quomodo tam cõstans & fides et cuius
 modi impietas se compatientur? Hæc questio digna
 est quæ excutiatur. Inficiari enim non possumus
 nam non merito irasci, cum Deus obiurgat non ta
 tum uerbis, sed factis, signo uitis albæ. Ad hæc facti
 ri cogimur Ionam nihilominus credidisse, & gratias
 fuisse Deo, cum Deus tam familiariter & paterno
 loquitur, datq; ei signum, & per omnia familiariter
 ter cõ

ter cum eo agit, ut amicus amico. Et ut maxime omnia possent condonari Ionæ, tamen hoc uidetur plane non ferendum & intolerabile flagitiū, quod suā illam priorē inobedientiam & fugam, propter quā tam grauius est à Deo castigatus, uult excusare, & culpam imputare Dei bonitati. Ach Domine, inquit, hoc sciebam, quod & dicebā cum adhuc essem in terra mea, ideo & præueni, fugiēs ad mare &c. Quid enim hoc aliud est, quàm ac si dicat Ionas, Reſte recte inquam, feci, quod fugi & nolui prædicare Niniuitis, & si qua culpa est, non mea est, sed tuæ bonitatis. Non ergo hic nos iterum obiurgamus merito Ionam, tu quis es qui insultas, qui resistis Deo? nonne hic uidetur Ionas quærere suum exitiū, nonne promereri, ut non uno naufragio, non uno mari terreatur & mergatur, utq; non unius beluæ dentibus commolitus & cōmansus, discat non blasphemare, utpote qui remurmurat Deo, quod tam prolixè in miseros est beneficus? Si hoc non Ionas, sed Saul aut Absolon fecissent, quid putas abstulisset premij? Si nunc meriti ullius aut demeriti respectus esset apud Deum, ad hunc Ionam puniendū unus infernus non satis esset, ut qui sic stomachatus impotentè, non modo contra fidem, charitatem peccat, sed & Deo durissima ceruice resistit & responsat. Conqueritur bonitatem Dei nimiam esse, inuidet

proximo salutem & gratiam, hæccine opera bona
 sunt? Queso te quid est impietas, si hæc non est im-
 pietas? penè non habeo hic quod respondeã. At pri-
 mum hic obserua, Deum esse admirandũ in suis san-
 ctis, ne facile aliquem propter aliquod opus damna-
 mus aut iudicemus. Fieri potest ut opus malum sit,
 & tamen persona non sit damnanda. Nam si hic re-
 spiciamus Ionam, tunc opus eius uere est impiũ, &
 Deus reprehendit hanc eius iram, & tamen nibilo-
 minus Ionas est dilectus filius, & loquitur hic cum
 Deo, quasi non reformidans (ut etiã non formidat
 amplius seruiliter) sed confidit ei ut patri. Secun-
 do, ut discamus quomodo Deus sinit suos filios &
 sanctos nonnunq̃ grauius labi & errare, ut Chri-
 stus etiam Apostolos, ad consolationẽ omnibus cre-
 dentibus, qui & ipsi errare possunt et labi. Tertio,
 ut uideamus quã amãter, paterne, & suauiter tra-
 ctat Deus suos electos, unde expectant in tentati-
 onibus quã dulciter etiam afficiuntur erga patrem
 post castigationem: quemadmodum in Epistola ad
 Hebræ. dicitur, Omnis castigatio initio uidetur esse
 se mœroris, postea exercitatis dulcissimos fructus
 affert iusticiæ &c. Nam hic uides Ionæ erratũ hoc
 non imputari, quod tamen reuera peccatum est, sed
 ad hanc Ionæ imbecillitatem conuiet Deus, hæc
 aliter, ac si pater ignoscat filiolo. Cum incredulis
 autem

autem & impijs non sic agit Deus. Illi etiam nescirent uti hac diuina indulgentia, sed abutentes bonitate fierent securiores, putantes Deo impietatem probari. Verum Ionam non admodum æquum esse gentibus, non est mirum. Nam persuasio erat hæc publica apud Iudæos, tantum Israelitas esse populum Dei, ut supra dixi, & gentes esse sub ira Dei, ut Psalmus 78. sonat, Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt. Ideo hoc obstinate defensum uolebant, nullum hominem consequi salutem, nisi qui primum iuxta Mosi ritum circumcissus esset, & in ius receptus esset Iudaicum. Ideo & Apostoli ipsi, & sub initia Ecclesiæ, Christiani omnes hoc persuasissimum habebant, quemadmodum in Act. 8. scribitur, quod scilicet prædicabant Euangelium, & gratiam hanc solis Iudæis. Et indignabantur Petro, quod gentibus prædicaret, in Act. 10. & 11. Et non est dissimile ueri Ionam, aut persecutionem passum, aut occisum esse, quod Niniuitis prædicauit, & Niniuen ciuitatem Dei nominarit. Non ferre enim poterant nec aures nec oculi Iudæorum ut quicquam tale, si uel unus homo diceretur esse Dei, taceo tota aliqua urbs uel regnum, nisi seruaret legem Mosi, & tamen Niniuitæ hic palam, ut timentes Deum, & ciuitas Dei proclamantur à Iona. Sic & nostro seculo uidemus, in quas non cruces illi rapiuntur, qui uel

IN IONAM

hiscere audent, iam usquàm alibi esse posse Christia-
 nos, quàm sub Romana Ecclesia, & de Papatu, q̄
 acris contentio? Quot insontes eo nomine exusti
 sunt? Et fieri potest, ut hæc sit una & uera causa,
 quare Ionas non uoluit prædicare Ninuiæ, & re-
 murmurat q̄ non subuertitur, malletq̄: mori quàm
 uidere ullum hominem recipi in gratiam, fieri po-
 pulum Dei sine lege Mosi & ritibus Iudaicis. Quid
 enim uniuerso nomini Israelitico possit esse contu-
 meliosius, quàm Legem Mosaicam, omnes ipsoru
 ritus ut superuacaneos negligi, & gentes Idolola-
 tricas, quæ extra remp. Israelis sunt, nominari po-
 pulum Dei. Haud dubie dicturi erant Iudæi, quid
 ergo nos Iudæi defatigamur tanto labore ceremo-
 niarũ legis, quid nos circumcidimur, si ultimi equa-
 lem mercedem accipiunt cum primis, adeoq̄ nobi-
 scum, qui portamus pondus diei et æstũ. Quid præ-
 rogatiuæ est nobis? quid præstamus Iudæi getibus,
 si equamur per omnia? & planè hic fieret ut Euan-
 gelica parabola habet. Nam Ninuiæ sine lege &
 prophetis hic tandem equantur Iudæis, participes
 facti gratiæ, & Iudæi nihil plus accipiunt: imò tan-
 dem prorsus reijciuntur, cum patrifamilias remur-
 murent, uilipendentes Euangelium, & inuidentes
 gentibus gratiam Christi. Hoc igitur Ionam reddi-
 dit tam difficilem, ut qui istarum rerum suis conci-
 ouibus

onibus in urbe Niniue primus author futurus esset,
 & totum Iudaismū contemptiorem redditurus. Ex
 hoc quid aliud habebat expectare, quā exilium?
 Non sine causa igitur fugit Ionas, & detrectauit
 prædicandi munus. Nam esse Iudæum, & palam ni-
 hilominus docere Iudaismum non esse necessariū ad
 salutem, quid hoc est aliud, quā contra propriam
 Legem Mosi, & totam gentem docere, & gentes
 exaltare ac æquare Iudæis? Quemadmodū & Pau-
 lo obijciebant Iudæi in simili causa, in Act. ut Lucas
 describit. Ut igitur Ionæ inardescēs sedaretur ira-
 cundia, utq; haberet quod frementibus suis Iudæis
 responderet, Deus paterne ludens cum illo, dat ei
 signum, quemadmodum & Petro in Actis 10. cum
 Apostolus ibi in simili esset persuasione &c. demit-
 tit ibi illi lintheum quoddam omnis generis animan-
 tibus refertum, auditq; Petrus uocem omnia munda
 esse, cum tamen in uniuersum gentiles essent, non
 habentes legem Mosi &c. Sic Deus hic Ionæ dat
 signum, & fecit una nocte crescere uitam albam, ut
 Ionas amœnissimū haberet tuguriolum. Cum nunc
 admodum delectabatur suo tugurio misit Deus uer-
 mem mane, cum Ionas minime cogitaret, qui arbu-
 sculā arrosit ut aresceret, & sic Ionā subito priua-
 uit suis delicijs. Adhæc solis radij caput eius urunt,
 cum iam non haberet umbraculum, iterum igitur

IN IONAM

hoc perturbat Ionam, et molestia accedit molestia, ubi aliter cadunt, atq; Ionas cogitat omnia. Ideo iterum optat mori, ut tandem excuteret molestiam, ubi nunc loquitur ei Deus, & ut paterfamilias in Evangelio dicit ad eum, Nunquid potestatem habeo faciendi de meo quod uolo, & ostendit ei quod stulte irascatur. Tu irasceris, inquit, propter arbusculam quae exaruit, quanto praestantior autem uel unus homo est hac arbuscula, ut taceam de tota urbe? Nonne longe uehementius optare debebas, ut tanta multitudo hominum maneret, tot uiri, tot foeminae, ille flos iuuentutis, tot puellae, tot infantes in cunis, quid praeter illis Iona tua folia sunt? tuus uirens ramus sciuus? Quomodo hic non obmutesceret Ionas? quomodo non pudefieret, sua ipsius sententia captus et conuictus, quo syllogismo pulchre implicitus haeret antequam praeuideat, adeo nihil est omnis humana sapientia praeter diuinam. De illa uite alba quae Hebraei κίχρον dicta est, scriptores uarie disputarunt, ueteres cucurbitam intellexerunt, postea sanctus Hieronymus reddidit hederam, quae est Ephraim, & dicit non in Italia, sed in Syria nasci, esse autem arbusculam, quae repete excrescat & luxuriet densitate quadam foliorum, adeo ut pampinorum in morem facile umbraculum inde contexi possit, unde ueteres forsitan cucurbitam reddiderunt. Ego autem opinor eam

nor eam esse arbusculam, quæ à Physicis uitis albâ dicitur, Germanice uild ruben. Noster Iohânes Pomeranus putat apud suos pomeranos Germanice uocari heilige vurtzel, quod etiam sic luxuriet & abundet folijs, & late serpendo fastigia ædium occupat. Ephau autem, de quo Hieronymus, esse non poterit, sicut & ipse fatetur, cum Ephau seu hædera, non caudice nixa sit, ut kikeon, sed per muros & arbores complexa ramos serpit ubicunque inhaerit. Ideo uiciniores uero uidetur esse qui cucurbitam reddiderunt, quam hæderam: quamuis Hieronymus eos exagitet, cucurbitarios eos uocans.

Non magni refert autem utro uocabulo utamur, neque est ut de nomine contedamus, si de re constet. Hoc quidem uerum est, quanquam eius arbusculæ ea natura sit, ut subito crescat, tamen miraculo hic una nocte in tantam excreuit syluulam propter Ionam, & Ionas diu sedit sub hoc umbraculo, forsân totis his quadraginta diebus. Nam textus dicit quod exierit urbem, cum uideret Niniuitas conuerti, & sedit è regione urbis ut uideret an urbs euerteretur. Male enim habebat hoc Ionam, quod uidebat eos penitentiam agere, & iam tum metuebat fore, ut Niniue non subuerteretur. At post 40. dies, cum iam uideret præscriptum illud tempus lapsum esse, ibi primum incipit stomachari, prophetiam non ex-

IN IONAM

peccatum habere euentum, ibi remurmurat Deo, et
 tamen humiliatus et pudefactus cogitur redire do-
 mum, non tamen sine magno profectu et eruditi-
 one uoluntatis Dei. Ex illo discimus Deum esse sal-
 uatorem omnium hominum, non tantum Iudeorum,
 quemadmodum Paulus 1. Timoth. 2. dicit, Deus uult
 omnes homines saluos fieri, et ad agnitione ueri-
 tatis peruenire. Deinde discimus, nobis gentib. qui
 ultimi hora undecima uenimus in uineam, et nihil
 laborauimus planè gratuito et indignis obtingere
 gratiam, cum ea nobis non sit promissa, ut Iudaeis.
 Vtinā grati essemus, eaq; sic gratuito donata, utere-
 mur ad salutē, quemadmodū hic Niniuitae fecerunt,
 ne postea ingratitude graues daremus poenas, ut
 Niniuitae postea dederunt. Nam haec historia Ionae
 ideo scripta est ut ostendantur nobis Dei mirabilia
 opera, nempe Verbum Dei ibi maxime afferre fru-
 ctum, ubi minime putamus. Econtra, ibi minime fru-
 ctificare, ubi maxime speramus. Nam hic adeo crea-
 dunt Idololatrae gentes Niniuitae, non habentes ul-
 las promissiones nec Verbum Dei. Econtra Iudaei
 non credunt, quibus datae erant promissiones: non
 desperemus ergo de ullius hominis salute, nec etiā
 ulli nimium tribuamus.

Hic dicit propheta, in Niniue fuisse plusquam
 centum et uiginti millia hominū, ex quibus uerbis
 conijcere

conijcere possumus urbis magnitudinem. Nam cum exprimit centum & uiginti millia, aliquid etiã adijciens, satis indicat quod in ea urbe centum & triginta millia hominum non fuerunt, aliãs clare dixisset ultra centenarium, plusquã triginta milia aut ducentena millia. Constat autẽ eam urbem non usquẽ adeo prodigiosã magnitudinis esse, in qua ducenta sint hominum millia, presertim si floreat, ut hic Niniue regia urbs fuit, et metropolis in toto regno Assyriorum, nisi uelimus ita intelligere hic textum, eorum hominum qui non cognouerunt dexterum, aut sinistrum tantã fuisse multitudinẽ, quales sunt pueri aut fatui, aduultorũ uero & senum longẽ fuisse maiorem numerum. Ego autem hanc interpretationem non sequor, sed illos in uniuersum omnes non cognouisse quid dextrũ aut sinistrũ esset, quem admodum nos dicimus pro nostro Germanismo, Sy wuften ueder dis noch das, neq; hoc neq; illud cognitum habebant in rebus diuinis, utpote qui expertes erant legis Mosi & prophetarum quibus erudirentur, quomodo & interne & externe, tum in spiritualibus tum etiã corporalibus, se coram Deo gererent. Sic enim more scripturã intelligi potest dextera pro internarum & spiritualium rerũ cognitione. Sinistra, pro cognitione corporaliũ & externarum, Deo enim seruiendũ est corpore & spi-

IN IONAM

ritu. Sed de his nunc satis, nunc Ionæ historiam per allegorias tractabimus, quarum tres esse inuenies.

PRIMA

Ionas Hebraice significat columbam, nunc in nouo testamento scimus in columbæ specie aduenisse & missum esse spiritum sanctum, Lucæ 3. & Iohannis 2. & in primis manifesta reuelatio spiritus que facta est ad ebuccinandum Euangelium in toto mundo, & nomen Iesu Christi. Sic ut Ionas hic suo uocabulo, typus sit spiritus & officij ac ministerij quod in mundo obit, spiritus nempe Euangelij. Nam omnes Apostoli & ministri Verbi, debent esse Ionæ et columbæ, id est, habere spiritum ut nihil ex sese, sed omnia ex spiritu sancto doceant & faciant, quemadmodum & Christus Matth. 10. discipulis suis iniungit, Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, id est, prædicate Verbum Dei pure & simpliciter, nihil addentes, ut suggerit spiritus uobis, & circumspecte ambulantes, nec unquam tamen malis artibus tractantes. Ninue sonat Hebræis pulchrum aut formosum, quemadmodum urbs splendidis ædificijs ornata, formosa est. Atq; ea est typus mundi, opibus, uoluptatibus, sapientia, honoribus, & hypocritica sanctitate florentis. Sed hæc tota species nihil est, quam abominatio coram Deo. Quod autem hæc Ninue audit Verbum, & induta

& induta saccis, sedens in cinere, agit poenitentia,
 indicatur quid operetur & agat Verbum Dei in mut
 do. Per Verbum haec omnia cuertuntur, ut homines
 de sua iusticia, robore, opibus, breuiter omnibus hu
 manis desperantes. Contemptis uoluptatibus & ho
 noribus omnibus mundi, agnoscant suum peccatum,
 infirmitatem, miseriam, ut pudefiant coram Deo,
 ingenuè se profitentes miseros et peccatores. Hoc
 est uere sedere in cinere, saccis indui, & ieiunare.
 Ibi etiam iumentis indicitur ieiunium, id est, corpo
 ra sua ibi castigant homines, & in seruitutem redi
 gunt &c. Quod autem Ionas e iudaea mittitur in ter
 ram longinquam, innuitur spiritum & Verbum Dei
 auferendum esse à iudaeis, & dandum gentibus, quæ
 admodum Christus Matth. 22. dicit, Amen dico uo
 bis, auferetur à uobis regnum, & dabitur genti fa
 cienti fructus eius &c. Quod autem Ionas ad ma
 re fugit, & tot ac tantis periculis exercetur, cru
 cem & afflictiones significat, quibus Euangelium in
 mundo undiq; premitur. Semper ministerium Ver
 bi uidetur imbecille, & fugienti simile, solentq; ini
 tio omnia apparere desperata, quasi iam ruitura.
 Nihil infirmius, nihil stultius uidetur esse Euange
 lio, eo quod cõcionatores & Apostolici tales sunt fu
 gitui, id est, imbecilles, & contempti homines.
 Mare, id est mundus ille ut est potētissimus, ita ubiq;

I N I O N A M

furit & insanit. Cetus autem est horribilis, & suo
 immani rictu & dentibus illis trabali magnitudine,
 hoc est, Sathan terribilis est & formidabilis, & mi-
 natur, infrendens suis dentibus, id est, insultat pijs
 potentia Regum, principū, nusquam non in pericu-
 lum & cadem intentans. Sed tamen Ionas mirabi-
 liter seruat diuina potētia: & Verbi cursus, neq;
 fuga Ionæ, neq; tempestatum ac maris saeuitia po-
 test impediri. Sed omnibus periculis superatis per-
 rumpit, tandem peruenit Ninue. Ita etiā, licet mi-
 nistri Verbi per omnia uideantur infirmi, uiles, &
 contempti, mundus ubiq; in præcellenti splendore
 & potentia, tamen Dei Verbum & Euangelium, est
 contra hæc omnia inuictū & longè potentius. Pro-
 inde si semel in uniuersum omnes possent occidi, et
 quasi absorberi concionatores, tamen idipsum tan-
 tum uires adderet Euangelio, tamen eo concita-
 tior & fortior futurus esset cursus Verbi, sciscitan-
 tis alijs, & sic pudefacta omni sapientia & iusticia
 mundi, ut uideamus in Apostolis accidisse. Hæc ad
 nostram consolationē scripta sunt, ut nec nos terri-
 amur huius maris tempestatibus, & huius tanti ce-
 ti rictu, certi fore, ut nostrum quoq; Verbum felici-
 ter uincat, & nostrum Euangelium potentius sit his
 omnibus.

S E C V N D A.

Altera est de spiritali persecutione, quomodo
 agatur

agatur cum peccatore, quando spiritualiter mori-
 tur & uiuificatur, id est, quando est iustificandus et
 à peccato liberandus &c. Primum enim inest no-
 bis peccatum, quod cognatum est nobis per inobe-
 dientiam Adæ, quod & nos nostra inobedientia et
 sceleribus uarijs impie uitæ auximus, & sic subin-
 de fugimus à facie Dei, non obediētes uoluntati et
 imperio Dei. Hoc peccatum tunc primum ingraue-
 scit, quādo à Verbo Dei delabimur in hypocrisim,
 & uarios cultus, & impietate cordis externa san-
 ctitate fucamus. Hæc enim inobedientia est fuga lo-
 riæ à facie Dei. Interim quod non sumus renati, sed
 adhuc ueteris Adæ, nulla est in nobis cognitio Dei,
 sed longè absumus à Deo, haud aliter atq; filius ille
 parum frugi in Euangelio. Quod autem Ionas fu-
 git ad mare, & ad nullum certum locum, signifi-
 cat peccatorem cum à Deo profugit, & sine Deo
 est, nullæ certitudini usquàm posse inniti, sed uehi et
 ferri iuxta mundi & carnis desyderia: quocunq̃ue
 enim Sathan impellit & aufert, neq; scire aut cogi-
 tare tunc cæcum quo auferatur, sed tantum inhiare
 fugæ, & reiecta obedientia Dei, sui animi somnia,
 & bonas intentiones sequi: Descendit uero Iapho,
 inuenit nauim paratam, numerat ilico nauulum, con-
 scendit, cōsopitur in nauī, et sic dormiēs auehitur.
 Iapho Hebræis sonat pulchrum, formosum, hic uti-

IN IONAM

piorum est cœtus et congregatio eorum, qui sanctam
 uitam simulant tantum, & non timent Deum. Hic
 est locus aptus inobediencie & electicie sanctita-
 ti. Nam ibi inuenit nauim paratam, id est, hypocri-
 ta inuenit modum & formam uitæ, quæ sibi uidetur
 esse idonea ad salutem, qua possit recte duci, ut est
 lex Dei iuxta humanam opinionem intellecta. ibi
 inuenit nautas, id est, doctores talis humane iusti-
 cie & operum legis, illi abducunt eum, dubium &
 incertum quo ducatur, sed tantum in mediū mare.
 Nam in talibus hypocritis non sunt conscientie cer-
 tæ aut firmatæ Verbo Dei, sed circumferuntur quoa-
 uis uento doctrine. Illis Ionas persoluit nauulum.
 Nam tales doctores sunt animalia uetris, omnia ha-
 bentes in questu, turpis lucri gratia facientes om-
 nia, & illis nemo non libenter numerat, illi ditantur.
 Nam & Deus populo Israel ut mercenario
 & populo legis ac operum, terram Canaan, & re-
 liqua corporalia dedit. Apostolis autem & Euangeli-
 stis nihil datur, sed suorum bonorū rapinas sus-
 tinere coguntur. Hanc nunc nauim conscendit Iona-
 nas, hoc est, hanc doctrinam audit, iacetq; ibi, stertit,
 id est, securus est, & putat secum bene agi, atq;
 sic consopitus, ipse sese non sentiens, uehitur. Sic
 enim sunt securi omnes iusticiarij, qui suæ hypocri-
 sis tam profundo somno consopiti stertunt, ut non
 sentiant.

sentiant peccatum suum, ut Salomon dicit Ecclesi.
Obedientia melior quam uictima impiorū, qui igno-
rant quantum mali faciant. Ecce hoc est in Iapho,
& in ima nauis descendere, hoc est, è sublimi &
editiori Hierusalē, id est, ex Dei obedientia descen-
dere in formosam Iapho, id est, speciosam hypocri-
sim bonæ intentionis, & humanæ ac propriæ opini-
onis. Ibi nunc superuenit Deus, & repente hūc san-
ctum inobedientem excitans, eius peccatum patefa-
cturus, ut tota illius sanctitas pudefiat, immittit tem-
pestatē, id est, sensu iræ & horribilis iudicij diui-
ni reddit perterritū. Ibi omnis fiducia propriæ san-
ctitatis & iusticiæ euanescit in morem fumū, ibi de-
sperant naucleri simul, & qui uehuntur, id est, do-
ctores & discipuli ibi primū sentiunt opera, nō con-
sistere coram uultu Dei, ibi subitus naufragij me-
tus omnes semel attonitos, pauesactos exanimari et
albescere facit. Ibi quilibet inuocat Deū suū, id est,
bonorum ut cunq; suorum operū iusticia nitens, con-
solationem quærit. At nullum illorū Idolorum au-
dit, nam omnes uerū Deū ignorant, ibi excitant Io-
nam, ibi primum fiunt ueri doctores legis, lex suo
uero fungitur officio, non docens amplius externā
iusticiam, quæ per opera est, sed ostendens peccatū
& iram Dei, & perterrefaciens conscientiam. Et
hoc sibi uult etiam missio sortis, qua quæritur pec-

IN IONAM

eatum, & tandem inuenitur reus Ionas. Nam lex à
 querenda & urgēda conscientia nō desinit, donec
 peccatores inuenerit, et ad confitendum peccatum
 perpulerit, ut Dauid Psal. 37. dicit, Cum tacui inue-
 terauerunt ossa mea. Hæc autem subita sortis alea
 indicat, quòd repēte cum minime putamus Deus se-
 pe ferit & percutit corda sensu legis & peccati.
 Non igitur cum nos præcogitamus, sed quādo omni-
 niū minime putamus, supuenit paterfamilias &
 & inuenit nos alios quā uellemus.

Ibi Ionas nunc cogitur agnoscere peccatum, &
 ad legis accusationē reum se fatetur, aliās non ces-
 sat tempestas. Quanquā autē summo & maximo
 conatu remis incumbūt, ut appellant ad littus, tamē
 nihil efficiunt, hoc est, talis cōscientia licet conuicta
 sit, tamen adhuc eluctari cuperet, & effugere mor-
 tis sententiā, licet iam ipsa in se acceperit mortis
 responsū, licet ipsa sese fateatur reā, ut uideat in-
 uitabile iudiciū. Et hoc est q̄ Ionas nō hic ipse desili-
 endo se precipitat, sed ab alijs è nauī proturbatur.

Tandem Ionam precipitant in mare, cum aliter
 huic malo occurri non potest, suppliciter præca-
 tur, ne Deus illis sanguinem innocentē imputet, &
 iam ualde timētes Deū, sacrificijs cedunt Deū &
 Hoc est quod Paulus Rom. 7. dicit, Lex est bona, ius-
 ta, & sancta, et nihilominus mortificat, & irā op-
 rat.

ratur, facit ut irascat Deo, sentiam iratum Deum.
 Qua de re alio loco differetur latius. Quod autem
 Deū timent & colunt, indicatur legem, quādo suo
 uero fungitur officio, esse Dei diaconiam ad mortifi-
 candum & humiliandum, quæ antea cum adhuc es-
 set in Iapho tantū, id est, in speciosa hypocrisi ope-
 rum & iusticia humana, seruebat uentri, accipi-
 ebat naulum, & tantū faciebat securos stertentes,
 & pœnitere nescios hypocritas.

Hic uero horrendus ille cetus nunc adest, deuorans
 Ionam, id est, mors & infernus sequitur. Nam
 is est ordo harum rerum: primū lex, deinde per le-
 gem peccatum, peccatū autem consequitur mors,
 ut Paulus 1. Corinth. 15. dicit, Lex est potentia pec-
 cati, peccati autē stimulus mors est. Hoc est, si con-
 scientiæ essent sine peccato, mors eas non posset le-
 taliter uulnerare, nec discruciare, sed planè iner-
 mis hebetata cuspide ac sine stimulo esset. Cum au-
 tem peccatum sentitur in conscientia, mox suis le-
 talibus telis mors instructa & armata, ream adori-
 tur & inuadit conscientiam, uultq; hominem truci-
 cidare, et trucidat aeterno homicidio, nisi gratiæ ad-
 sit auxilium. Sic etiam si lex nulla esset, id est, si ea
 lex non esset quæ fungeretur suo uero officio, ibi et-
 iam nullum esset peccatū, id est, peccatū non senti-
 retur, esset inefficax & quasi inermis: sic fit quādo.

IN IONAM

tales Ione, id est, tales iusticiarij securi in nauis con-
 sopiti stertunt. Quemadmodum etiam in natura ha-
 bet, ubi non est lex, ibi nullum peccatum est. Quan-
 do autem lex uenit, mox adest etiam peccatum, sen-
 titurq; in consciētia. Quam nunc horribilis aspectu
 fuit Ione immanis rictus illius beluæ, tam horribi-
 les sunt minæ et terrores mortis, conterrita, et
 peccatrici conscientia. Ibi nunc Ionas per tres dies
 et tres noctes moritur in uentre ceti, id est, pecca-
 tor in tātis angustijs, terroribus et pauoribus mor-
 tis luctatur, tamdiu donec desperet. Nam intra tri-
 dui spacium facile dijudicari potest, num quis effla-
 rit animam. Nam qui in tertium diem mortuus iac-
 cet, illum expirasse certum est, etiamsi toto triduo
 non iacuerit, hoc est, quando per unū diem et inte-
 gram noctem iacuerit, nulla spes est uitæ. Nam ille
 aliquid precedentis et insequētis diei atigisse po-
 test, ut triduo mortuus iacuisse uere dicatur. Hoc
 triduum autem, re potius, quam spacio temporis in
 spiritali hac morte, et in eiusmodi scilicet tentati-
 onibus longum est, nam ictu oculi fieri potest, ut et
 magnitudo, et tantus tentationum impetus adigat
 ad desperationem. Mox superuenit post tantā mor-
 tem uiuum Verbum Dei, id est, Euangelium gratia:
 et dicit pisci, id est, mandat morti, ne hominem per-
 dat. Ibi tum erumpit quasi e fumo flamma fidei, et
 liberatur

liberatur homo simul à peccato & à morte, uiuitq; hilari & erecta cōscientia, in gratia & iusticia Christi. Atq; hic primum Ionas Psalmū præ cordis abundantia eructat, In uoce laudis immolabo tibi. Et mēro affectu obiurgat eorum insaniam, qui relicta misericordia, in uanitate confidunt. Nam homines sicutati, sic quasi camino probati experiuntur uere quā excellens sit potentia & efficacia, quā magna amplitudo gratiæ fidei, & quā præ illa omnia nostra opera & merita, totaq; iusticia legis, nihil sint quā uanitas. Ex eiusmodi hominib. postea fiunt uere Theodidacti, & potentes magistri in Ecclesijs, qui maximo fructu possint docere & gubernare Ecclesias, cum non tantum ex libris sapiant, sed simul ex spiritu & experientia. Illorū tunc uoces & uerba uiua sunt, potentia, & penetrātia, ut hic Ionæ uerbum ad Niniuitas indicat.

T E R T I A.

Tertiam Christus ipse de se exposuit, Matth. 12. Quāquā non per omnia allegoria sit, sed potius parabola & similitudo. Nam Christus tantū eam partem historiæ attigit, quæ de mansione in ceto loquitur. Sicut Ionas, inquit, fuit tribus diebus & tribus noctibus in uentre ceti: ita filius hominis erit in corde terræ, & uocat signū Ionæ, id est signū quod Ionæ simile sit. Hoc triduum autem non exponit al.

IN IONAM

legoricōs, quemadmodū aliās in allegorijs solet fi-
eri. Ideo similitudo potius est quā allegoria, et
nemo auderet sic interpretari, nisi Christus ipse sic
exposuisset. Verum de hoc non est ut hic differā-
mus copiosius. Cum historia Christi toto orbe di-
uulgata sit, quomodo mortuus sit, et resurrexit ter-
tio die, et quomodo signum illud magnum sit, da-
tum incredulis Iudaeis, imō toti mundo propositū,
per Euangeliū, ut sciant quomodo omnes per hoc
signum et mirabile opus Dei, redempti sint, ut uer-
bum hoc signi huius et resurrectionis Christi ap-
prehendatur uera fide. Offenditur autē totus mun-
dus hoc signo, in primis Iudaei, et est eis scandalū
atq; stultitia. Sed tamen hoc signum manet in aeter-
num, nec datur eis aliud ut uellēt. Nam immota ma-
net uox illa Christi, Generationi huic prauae et ad-
dulterae, non dabitur aliud signum, nisi signū Ioa-
nae prophetae, de quo et alibi diximus.

Ultimo restat allegoria haec uitae albae, et uera-
miculus uastator amoenissimi umbraculi sub aurora
et c. Haec pars historiae non tantum de cogitationi-
bus stomachantis Iona exponenda est, sed et ualde
de quadrat ad Iudaismum, qui non inepte compara-
ratur uiti albae. Primū enim uitae albae latae folia ha-
bet, adeoq; tota nihil aliud est quā syluula densa
foliorum, apta ad concinnandū tabernaculum, quo
Iona

C O M M E N T A R I I.

Jonas cōtra solares radios defendatur. At nulla hie
 mentio fit fructus, folijs tantum illa arbuscula luxu-
 riat, expers fructus. Ea folia sunt lex Dei, sicut Pau-
 lus dicit Roman. tertio. Concredita sunt illis elo-
 quia Dei, &c. Sub horum foliorum textili taberna-
 culo sedet Jonas, id est, propheta & sancti patres
 sub Iudaismo fuerunt, & sub illa pædagogia legis,
 & uariarum cæremoniarum, ut sub temporalita-
 bernaculo usque ad Christum. Nam ille cultus, illæ
 cæremonie, nihil erant quàm tabernaculū, ad æsta-
 tem tantum, quod non erat duraturum, nec fructus
 allaturū ullos. Nam opera legis sine spiritu neminē
 iustificabant, quanq̄ etiam tempore legis multi erāt
 in Israel fide promissionū et spiritu uere iustificati,
 & non inscij libertatis. Ideo & Christus ficum fo-
 lijs luxuriantem, fructibus tamē carentem, execra-
 tur ut arescat, quod totum omnino similitimum est
 huic uiti albæ. Sed tamen Jonas nihilominus gaudet
 de hoc tabernaculo, & confidenter expectat Nini-
 uitarum & urbis euerfionem. Nam mire hoc titila-
 bat Iudeos, quod soli haberent legem & prophe-
 tias, cæremonias & cultum, ducebant gentes esse
 abominationem, ut hic Jonas Ninuitas. Cum uero
 iam maxime sibi in hac re fidunt Iudei, & maxime
 gloriātur se solos esse populū Dei, & cum iam uni-
 us delectatur ille Jonas sue albæ uitis umbraculo,

I N I O N A M

immittit Deus uermiculū, qui uno ictu totam illam
 amœnitatē uastat, hoc est Christus, cum Iudæi maxi-
 me pharisaico fastu inflati, ualde gloriarētur se so-
 los esse populum Dei, uenit Christus cum suo Euan-
 gelio, & quasi denticulo percussit uitam albam, id
 est, prædicauit contra iusticiam legis, & abroga-
 uit totam legem, per spiritum sanctum, omnesq; li-
 beros reddidit à lege & potentia, ac maledictione
 legis. Hinc subito exaruit Iudaismus in toto mun-
 do usq; in hodiernum diem, omni flore exitus. Sic
 ut nullus Patriarcha aut propheta amplius sedeat
 sub umbra eius. Nam Iudaismus finem habet, &
 Christus est uermiculus ille, ut Psalmus dicit uige-
 simus primus, Ego sum uermis & non homo. Ver-
 mis autem dicitur, quòd à mundo contēptus & cru-
 cifixus sit. Quòd autem uermiculus non uesperis,
 sed mane sub auroram arrodit & uastat umbracu-
 lum hoc, significat quòd ille casus Iudaismi factus
 est sub tempus gratiæ, iam exoriente in toto mun-
 do Euangelij luce, & nouo testamento. Nam qui in
 tem albam mirabiliter fecerat crescere, ille idē stu-
 bito immisso uermiculo, omnem eius florem perdi-
 dit & decussit. Sic & res Iudaismi, & tota illa glo-
 ria Israeliticæ gentis uarijs & magnificis Dei ope-
 ribus inualescens mirabili Dei potētia, repente cre-
 uit, neq; uiribus proprijs eò euasit, ut hoc historia
 etatis

etatis Mofi, & tempora Regum testantur &c. Vt
 nunc alba vitis exaruit, sic etiam cecidit (cum hora
 uenit Euangelij) totus Iudaismus. Hic nunc Ionas
 irascitur ex duabus grauibus causis: primum quod
 alba vitis exarescit, & tam subito amittit suum um-
 braculū, deinde quod Niniue non subuertitur. Hæc
 autem indignissima res uidebatur esse etiam mul-
 tis magnis sanctis &c. quod reiectis & desertis Iu-
 deis Niniuitæ, id est, Idololatæ gentes participes
 gratiæ, & populus Dei facti admitterentur ad E-
 uangelium. Atq; ibi radij solares sic urunt caput Io-
 næ, ut penè nimio æstu exanimatus concidat. Nam
 & Paulus Rom. 10. in tanto fuit dolore & angustia
 cordis (Iudeis sic pereuntibus) quod anathema ef-
 se pro fratribus & uelit & cupijt. At Ionas respon-
 sum accipit, grauiorem & digniorem esse causam
 iræ, quod Niniue pereundum esset, quàm quod ui-
 lis arbuscula exaresceret, minus esse damni si hæc
 arbuscula exarescat, quàm ut tam populosa urbs
 subuertatur. Hoc est quod Paulus Rom. undecimo
 dicit, per lapsum Iudeorū salus contigit gentibus,
 hoc est, multo præstabat collabi Iudaismum, & il-
 lum cultum legis, qui tamen sine spiritu, tantū quæ-
 dam sylua foliorum est sine fructu, quàm ipso ma-
 nente, totum mundum perire. Sic stat Dei uolun-
 tas & sententia, & hoc etiam est iustum. Merito et

IN IONAM COMMENT.

Pro nos gentes agimus pro incōparabili misericordia. Nam in hac quidem tam sancta gratuita uocatione nobis gentibus sita est salutis & omnis beatitudinis summa, & Iudæi si suo pharisaismo relicto credant promissionibus, eadem salus & benedictio contingit ut heredibus, quam det nobis omnibus IESVS Christus. Amen.

FINIS.